



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Piatvs Martyr Tornaci. Seclinij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

PIATVS MARTYR

TORNACI.

Seclinij.

PIA TVS seu PIATO Presbyter & Martyr cum beato *1. Octob.*
 Quintino eiusque sociis ab vrbe Roma in Galliam
 prædicationis causa perrexit, ac postea in persecutione
 Maximiani martyrio Tornaci consummato migravit ad
 Dominum anno salutis 299. Ei potissimum Christia-
 nismi initia cum sanctis Chryfolio & Euberto aliàs Euge-
 nio Tornacenses debent. Quiescit Seclinij, quod est Flan-
 driæ municipium in collegiata Canonicorum sui nomi-
 nis Basilica. Translatio Piatonis martyris etiam annuè
 recolitur quarto Kalendas Nouembris, quam sanctus Eli-
 gius Episcopus fecit, qui etiam monumentum Martyris
 mirificè exornauit, vt ex cultu sepulchri ostenderet, quan-
 tus sit Martyr apud Deum in curia cœli. Quod porrò ad
 picturam attinet quidam eum propter Apostolatam
 suam, vt Episcopum honorant & depingunt, de quo Mo-
 lanum vide ad diem septimum Februarij. Videtur au-
 tem sanctus Martyr præter gladium etiam clauos perpes-
 sus. Scribit enim sanctus Audoënus Eligium grandi la-
 bore atque instantiâ inuenisse in territorio Medenatenfi
 vico Seclinio sanctum Presbyterum & Martyrem Pia-
 tonem, qui clauos longos ex corpore oblatos populis in
 argumentum monstrauit. Plura apud eundem Mola-
 num vide hâc die, & Ioannem Cognatum in historia
 Tornacensi.

V 2

PETRVS